



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

IV. De differentia formaliter vt prædicabili.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

PUNCTUM III.

Nonnulla expediuntur de differentia.

- 1 Inquires primò : An differentia suscipiant magis, & minus? Respondeo differentiam propriissimam constitutam speciei non suscipere magis, & minus, quia essentialia constitutum cuius rei in indivisibili consistit. Differentiam communem suscipere magis, & minus certum est: lignum enim, & quodvis aliud subiectum fit magis, minusve calidum. Accidens quod est differentia propria, aliquando suscipere magis, & minus patet in calore, & frigidityte, quæ passionem sunt elementorum; semper tamen essentia, cuius accidens est differentia propria, petit tantam determinatam intensiorem, ita ut si ultra illam aliquid qualitatis subiecto contingat, excessus ille non sit subiecti passio neque propria differentia. Ob hanc rationem possit aliquo modo dici propriam passionem formaliter sumptam in indivisibili consistere, & formaliter ut talem non suscipere magis, nec minus.
- 2 Inquires secundò : An genus sumatur à materia, & differentia à forma? Respondeo genus, & differentiam sumi à tota rei entitate; dicitur autem genus sumi à materia, & differentia à forma, quia genus assimilatur materiæ propter indifferentiam, quam habet ad plures differentias, sicut materia ad plures formas. Similiter differentia assimilatur formæ, quia sicut hæc materiam determinat, & actuat, sic illa determinat genus, quod contrahit.
- 3 Inquires tertio : An differentia infima, & subalterna sint eiusdem rationis? Respondeo affirmatiue, quia eodem modo contrahunt genus sibi superius, & constituunt speciem infimam, & speciem, quæ genus est subalternum.
- 4 Inquires quarto : An possit esse differentia infima constans duobus inadequatis inter se distinctis, quod est idem ac inquirere, an eadem species possit constitui sub duplici genere infimo, quorum vnum alteri non subordinetur? Respondeo in primis certum esse, hoc in omnibus speciebus necessarium non esse, quia homo solum est sub genere infimo animalis, in aliquibus tamen hoc contingere, sicut in actu, quo quis ieiunat ex morio obedientiæ, & ex motio temperantiæ, qui actus est sub ratione communi obedientiæ, & temperantiæ, qui inter se non subordinantur. Eadem ratione contingit in voluntate, quæ appetitiua, & spiritalis est, & continetur sub rationibus communibus spiritalis, & appetitiui inter se non subordinatis, ratio enim appetitiui communis est appetitiui materiali, & spiritali, & ratio spiritalis communis est appetitiui, & non appetitiui.
- 5 Nota ex duobus generibus inadequatis non subordinatis confluentibus in eandem entitatem, quodlibet posse considerari per modum differentie aliud efficiens. Sic ex duobus generibus supra assignatis ratio spiritalis potest contrahi per spirituale appetituum in voluntate, & per spirituale non appetituum in intellectu, & ratio appetitiui per appetitum spirituale in voluntate, & per appetitionem materiale in brutorum appetitu.
- 6 Obiicies contra conclusionem supra traditam Philosophum dicentem ea, quæ sunt sub diuersis generibus esse specie diuersa. Respondeo Philosophum intelligendum esse de generibus adequatis, non de inadequatis, item de generibus inter se oppositis, sicut corporeum, & incorporeum, non de generibus quæ inter se neque oppositionem, neque subordinationem habent.
- 7 Inquires quinto : An differentia sit perfectior genere? Respondeo secundum modum prædicandi perfectius esse genus differentia, quia genus prædicatur in quid per modum per se stantis, & differentia in quale quid per modum alteri adiacentis. Secundum autem modum essendi sentio differentiam perfectiorem esse genere, quia differentia se habet ut forma, & genus ut materia, forma verò materiam perfectione excellit. Hanc rationem impugnat Arriaga disp. 7. sect. 1. subsect. 4. quia si esse per modum formæ est perfectius, prædicari per modum formæ est prædicari per modum perfectioris: ergo est perfectior modus prædicandi. Non valet consequentia, quia terminus perfectius in præmissis attingit entitatem, quæ prædicatur, & in consequenti modum prædicandi, & aliud est prædicari differentiam ut entitatem perfectissimam, aliud prædicari per æstimo modo, quæ realiter separantur, potest enim

entitas ut summè perfecta imperfecto modo prædicari. Aliam rationem subiicit Arriaga propter quam differentia sit perfectior genere, videlicet quia magis distat ab ente; ea verò quæ magis accedunt singularibus, & distant à ratione vniuersalissima perfectiora sunt. Sed si Arriagam roges, cur minus vniuersalia perfectiora sint vniuersalioribus, nullam aliam poterit reddere, nisi quia superiores conceptus inferioribus contrahuntur, & hi se habent instar formarum respectu illorum.

Inquires sexto : Qualis sit diuisio facta à Porphyrio in differentiam diuisuam generis, & contractiuam speciei? Respondeo esse diuisionem potentie in diuersos actus, siue in eundem diuerso modo explicatum.

Inquires septimò : Qualis sit diuisio differentie facta à Porphyrio in differentiam separabilem, & inseparabilem? Respondeo, secundum munus faciendi differre accidens, in esse differentie esse separabilem ut accidens commune, vel inseparabilem ut differentiam propriam; ac proinde hoc modo intellecta diuisio erit subiecti in accidentia. Si autem per differentiam inseparabilem, intelligatur inseparabilitas per modum essentie quæ conuenit tantum differentie propriissimæ, diuisio erit analogi in analogata, iuxta dicta Punct. 2. Vltimò si hæc diuisio tradatur de differentia ut prædicabili quomodocumque explicetur erit generis in species, quia differentia communis, propria, & propriissima vniocè conueniunt in ratione prædicabilis. Solet hic disputari an differentia inferior formaliter superiore includat, de quo in Metaph. Controu. 1. §. 4.

PUNCTUM IV.

De differentia formaliter ut prædicabili.

Differentia propriissima tertium prædicabile constituit distinctum à genere, & specie, ut constat ex his quæ de his prædicabilibus tradidi. Definuit Porphyrius differentiam, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid, quam definitionem communiter recentiores impugnant, quia non conuenit differentie infimæ, quæ tantum prædicatur de pluribus differentibus numero. Neque sufficiens est explicatio, quam de illa nonnulli antiqui tradidit de non repugnantia, qui asserbant rectè definiri differentiam per non repugnantiam ad prædicandum de pluribus differentibus specie, quia differentia ut sic abstracta non repugnat de pluribus specie differentibus prædicari. Quæ explicatio nullo modo placet, quia non bene definitur species per id, quod generi præciso non repugnat, aliàs posset definiri homo per animal hinnibile, quia generi secundum se videlicet animali hinnibile non repugnat, & sicut homini ratione differentie repugnat esse hinnibile; sic differentie infimæ ratione differentie, quæ infima constituitur, repugnat prædicari de pluribus specie differentibus.

Expungenda est ergo à definitione particula illa differentibus numero, & definiendum quod prædicatur de pluribus in quale quid, per quam definitionem differt hoc prædicabile à duobus prioribus, quæ nullo modo prædicantur in quale, sed in quid purè; & à posterioribus, quia in quale purè, & nullo modo in quid prædicantur. Alio modo clarius differentiam definiens, quod prædicatur de pluribus per modum partis formalis essentialis, quæ definitio conuenientiam exprimit differentie cum reliquis prædicabilibus, in hoc quod est prædicari de pluribus, & disconuenientiam cum duobus prioribus in hoc, quod est prædicari per modum partis formalis, & cum posterioribus in eo, quod prædicetur non solum ut pars formalis, quod illis est commune, sed ut pars essentialis, quod neutri illorum conuenit.

De definito huius definitionis nihil speciale occurrit dicendum præter ea, quæ de genere diximus, videlicet esse naturam denominatam secundà intentione, seu concretum resultans ex natura & secundà intentione. Vide dicta de Genere, ubi explicui quid sit prædicari in quid, & in quale.

Inquiri solet, in ordine ad quid differentia constituitur vniuersalis: de quo breuiter dicendum est non posse constitui vniuersalem in ordine ad speciem infimam, aut subalternam quam constituit, quia respectu huius æqualis est, & ad conuertentiam dicitur, sensibile enim conuertitur cum animali, quod constituit, & rationale cum homine. Certius est non posse vniuersalem constitui respectu generum, quæ

quæ contrahit, quia omne genus latius patet quacumque differentia, per quam contrahitur, cum sit contrahibilis per plures differentias inter se oppositas. Constituitur ergo differentia vniuersalis respectu inferiorum speciei subalternae, seu infimæ, quam constituit, v.g. sensibile respectu hominis, & equi, & reliquarum specierum, seu reliquorum inferiorum animalis quod constituit, & rationale respectu Petri & Ioannis, reliquorumque inferiorum speciei hominis, quam rationale constituit tanquam pars formalis.

PUNCTUM V.

De differentia propria, seu de proprio primo intentionaliter sumpto.

I Quatuor proprij acceptiones assignauit Porphyrius cap. de proprio. Prima est quod conuenit soli, non tamen omni, neque semper, vt esse musicum, quod conuenit tantum homini, non vero semper, neque aliquando omnibus indiuiduis. Secunda est, quod conuenit omni non tamen soli, vt esse bipedem. Tertia, quæ conuenit omni & soli, non tamen semper, sicut canescere, quod conuenit omni homini, & illi soli, non tamen semper. Quarta, quod conuenit omni, soli & semper, sicut esse risibile respectu hominis. In his acceptionibus quartam Porphyrius omnibus præfert, explicabo breuiter iuxta quam proprium quartum prædicabile constituitur.

2 Proprium cuiusvis rei idem est ac passio illius quapropter communiter definitur id quod est extra essentiam, necessarium tamen illam comitari: per quam definitionem proprium differt à tribus prioribus prædicabilibus, quæ essentialia sunt, & à quinto, quod essentiam non necessario comitatur. Proprium est duplex quoddam physicum, aliud metaphysicum: Physicum est illud, quod realiter ab essentia distinguitur sicuti potentia intellectiua in opinione, quæ passiones ab anima distinguit: proprium Metaphysicum dicitur, quod physicè cum essentia identificatur, & per intellectum extra illam concipitur. Ex his proprium physicum physicè & realiter est extra essentiam; proprium verò metaphysicum tantum per intellectum extra essentiam concipitur.

3 Sento Proprium quarto modo sumptum tantum quartum prædicabile constituere, quia illud provenit ab essentia, quidquid enim ab hac dimanat omni indiuiduo conuenit, cum essentia indiuiduorum in omnibus eadem sit, & per se loquendo semper conuenit, quia essentia semper est eadem, earundem radix passionum. Addo conuenire soli, quia id, quod conuenit rebus specie differentibus, non alicui earum in particulari tribuimus, quia adæquatum fundamentum, quod dicimus risibile dimanare ab essentia hominis est, quia videmus semper cum illa coniungi, & in nullo separari.

4 Aduerte tamen Proprium secundo modo sumptum, quod conuenit omni non tamen soli, pertinere ad hoc prædicabile non quatenus conuenit illi speciei, cui non soli dicitur conuenire, sed quatenus comitatur aliquid prædicatum essentialie commune omnibus speciebus, quibus conuenit, respectu cuius prædicati proprium erit, & propria passio, sicuti potentia videndi, quæ conuenit homini, & aliis ab homine, non dicitur propria passio hominis, sed animalis, quia conuenit omni animali (hoc suppono vt rem explicem, quidquid sit de talpa, & aliis animalibus) & in nullo non animali reperitur.

5 Proprium primo, & tertio modo sumptum nullo modo pertinet ad hoc prædicabile, quia omnino contingenter conuenit subiecto, Petrum enim esse Musicum æquè illi contingens est, ac esse album, quod autem esse album possit conuenire aliis speciebus, & non esse Musicum, impertinens est in ordine ad Petrum, quia album posse aliis speciebus conuenire non est relatio albedinis ad Petrum, sed ad alias species, & eadem ratione non posse conuenire esse musicum speciebus aliis, non est relatio musicæ ad Petrum sed defectus relationis in musica ad alias species. Idem dicito de canitie, quæ cum non semper hominem respiciat, contingenter se habet respectu illius, neque ex prædicatis essentialibus oritur, sed spectat alias extrinsecas circumstantias.

PUNCTUM VI.

De Proprio secundo intentionaliter sumpto.

I Proprium secundo intentionaliter sumptum est unum aptum prædicari de multis in quale necessario. Conuenit cum omnibus prædicabilibus in hoc quod est prædicari de multis; differt à genere, & specie: quia hæc prædicantur in quid purè; à differentia quia prædicatur in quale quid, ab accidente, quia licet prædicetur in quale non prædicatur necessario, sed contingenter. Posset non ineptè proprium definiri, quod prædicatur de pluribus tanquam pars formalis orta ab essentia. Quæ definitio proprium distinguit à genere, & specie, quia hæc non prædicantur vt partes formales, & à differentia, & accidenti, quia non sunt partes formales ortæ ab essentia: differentia enim est constitutum ipsius essentia, & accidens cum illa connexionem non habet.

2 De termino in ordine ad quem proprium prædicabile constituitur philosophandum est sicuti de differentia, & dicendum non constitui vniuersale in ordine ad speciem cuius est propria passio, quæ cum illa dicitur ad conuertentiam, sed respectu inferiorum talis speciei, risibile v.g. respectu inferiorum, quæ sub specie hominis, cuius proprium est, continetur.

PUNCTUM VII.

De differentia communi, seu de accidenti quinto prædicabili primo intentionaliter sumpto.

I Accidens quantum prædicabile definitum fuit à Porphyrio quod potest adesse, & abesse absque subiecti corruptione. Alio modo quod eidem inesse, & non esse potest. Illud adesse, & abesse intelligendum est eo modo quo fuerit accidens, si enim accidens fuerit physicum, physicè poterit adesse, & abesse; si verò metaphysicum, metaphysicè tantum, & per intellectum poterit abesse à subiecto, cum quo realiter est identificatum.

2 Vulgaris obiectio est calorem vt octo aquam destruere, & mortem destruere hominem, etiam si calor respectu aquæ, & mors respectu hominis sint accidentia. Respondeo subiectum caloris sicuti aliorum accidentium esse materiam primam, quæ non corrumpitur receptione caloris: quod si cum Thomistis velis defendere accidentia subiectari in toto composito, rectè respondebis calorem vt octo nunquam subiectari in aqua, quæ ex vi illius corrumpitur, sed in igne seu quocumque alio toto ad quod vltimò disponit, accidentia enim quæ remanent toto corrupto, non in hoc toto corrupto, sed in genito subiectantur. Ad aliam obiectionem, Respondeo mortem non respicere hominem tanquam subiectum, cui adueniat tanquam forma, sed tanquam habitum, quo priuat, est enim mors non esse hominis, quod non illud tanquam subiectum supponit, sed destruit sicuti priuatio proprium habitum.

3 Difficilius obicitur, definitione hanc Proprio, seu quarto prædicabili conuenire, quia frigiditas vt octo, quæ est passio aquæ potest illi adesse, & abesse absque sui corruptione, & omne proprium metaphysicum potest metaphysicè abesse absque subiecti corruptione; potest enim essentia sine passionibus menti obijci, neque aliâ ratione possunt plura accidentia à subiectis abesse, hæc enim prædicatio Petrus est existens, pertinet ad quintum prædicabile, & existentia tantum per intellectum potest à Petro separari. Respondent nonnulli de ratione accidentis esse, ita posse abesse vt subiectum cum accidenti contrario possit intelligi. Non assentio, quia actus ridendi est accidens hominis, & non ita potest abesse vt intelligatur homo cum opposito actu hinniendi, aut ridendi. Deinde frigiditas vt octo est passio aquæ, & hæc potest intelligi cum valore vt vnum, qui contrariè opponitur cum frigiditate vt octo.

4 Respondent alij ex eo distingui proprium, & accidens, quod accidens potest non solum præcisiuè, sed etiam negatiuè separari à subiecto, possumus enim quodcumque accidens de subiecto positiuè negare, & dicere, lignum non est calidum, non verò propriam passionem, quia licet ab hac possit essentia præcindi, hoc est, cognosci essentia passione